



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Brevis Et Vtilis Commentarijs In Priorem Epistolam Pauli  
ad Corinthios, & in aliquot capita secundæ**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergæ, 1561**

**VD16 M 2618**

De abusu Libertatis, & de Scortatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36296**

I. EPISTOLA AD

ab eo signo ratiocinatur in eis esse pravae  
cupiditates.

Est & uocabulum ἀπειλα mollius,  
quām ἀμαρτία id est, quiddam damna-  
tum, & significat succumbere affectui ali-  
cui, ut dicimus: ἀπειληθεῖσαι, ἀπειληθεῖσαι

μῆτ πλανᾶσθε.

Ne erretis.

*De abusu Libertatis, & de  
Scortatione.*

SAEpē cogitandum est, qualem inueni-  
erint mundum Apostoli, non solū quia  
prodest ea consideratio ad intelligendas  
conclaves Apostolorum: Sed etiam quia  
eius temporis manifeste turpitudines ma-  
gis ostendunt, quanta sit miseria generis  
humani, quām præsentis ætatis uicia, que  
etiam si sunt multa & magna, tamen magis  
teguntur. Collatio tamen & nos de no-  
stris uicījs commonefacit.

Semper magna pars hominū profus  
est athea. Sed tunc multi palam docebant  
nullam esse prouidentiam. Reliqua mul-  
titudo horribiliter colebat Idola, & alij alia  
quotidiē excogitabant.

Deinde contra Secundam Tabulam  
non

non solum usitatæ, sed etiam concessæ erant  
uagæ libidines multiplices. Concubitus  
seu mariti seu cœlibis cum ea, quæ corpus  
prostituerat, prorsus non reprehendebat-  
ur. Imo in Plauti Comœdijs patres & fi-  
lij easdem amant. Plurimi palam impunè  
etiam sexu abutebantur, de qua turpu-  
dine etiam si uetus habuerat seueras le-  
ges, tamen illæ iam in Græcia, Asia & Ita-  
lia, multis seculis conticuerant.

Contra Quintum Præceptum rece-  
pta erat & gladiatorum consuetudo.

Contra Septimum concessæ palam  
erant usuræ.

Sed illi furores contra Primum Præce-  
ptum, et contra Sextum, multo latius gra-  
fabantur, & magis tetri sunt.

Talis cum esset mundus, tamen Deus  
ex illa turpissima colluuie, immensa misé-  
ricordia Ecclesiam sibi collegit, quod ex-  
emplum continet amplissimam consola-  
tionem, quam & hic Paulus proponit,  
admonens nos de remissione peccatorum  
cum ait: Et hęc quidem aliqui fuistis,  
sed abluti estis, sanctificati estis, iu-  
stificati estis in nomine Christi &  
Spiritu sancto. Quæ uerba meminisse

C 4 ualde

I. EPISTOLA AD

ualde prodest, & propter consolationem  
& propter doctrinam, quia de Iustificatio-  
ne erudite loquuntur, affirmant nos rece-  
ptos esse propter Christum, & donatos  
Spiritu sancto.

Deinde cum talis fuerit morum cor-  
ruptio, facile iudicari potest, quam diffi-  
cile fuerit, tot falsas opiniones confirma-  
tas in Ethniciis, ex eorum animis euellere.  
Ac præcipue consuetudo eum mulieribus  
prostitutis receptissima erat, confirmata  
non solum temporibus, & communibus  
omnium exemplis: Sed etiam sodaliti-  
rum & conuiuorum suavitate, & Ludo-  
rum & Comœdiarum uenustate. Ideo tam  
prolixa concio hic contra Scortationem  
instituitur. Et ne sit ambiguitas in uoca-  
bulo, diserte dicit se improbare consuetu-  
dinem cum muliere prostituta, non tan-  
tum alias libidines turpiores.

Primum autem regulam tradit con-  
tra abusum libertatis. Quia enim doctri-  
nam de Libertate nimium laxabant, &  
transferebant ad licentiam non concessam  
a Deo, Ideo hæc regula traditur: Libe-  
tas Euangelica non concedit uiolas-  
ri præcepta moralia. Hanc regulam

capite

capite septimo expresse tradit: Circumcisio nihil est, et preputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Quia nouum Testamentum exhibit iusticiam & uitam æternam, quæ est ipsa interior & exterior impletio moralium præceptorum conueniens cum æterna & immorta uoluntate Dei expressa in præceptis moralibus. Ideo hic errores de libertate reprehendit, & nominatim prohibet delicta pugnantia cum primo præcepto, sexto, septimo & octavo. Nam præceptum Quintum de homicidio alioqui notum erat, & alibi additur.

Et manifeste affirmat, non esse hæredes uitæ æternæ, qui perseverant in tali uiolatione moralium præceptorum contra Conscientiam: Nolite errare, inquit, Scortatores enim non erunt hæredes Regni Dei. Ac ut intelligatur concio non de præteritis delictis, sed de perseverantia, Explicationem addit: Hec fuisti, sed abluti estis. Hec uerba insigamus animis, quia, ut dixi, doctrinam et consolationem dulcissimam continent.

C 5 DISCRL